

EPISTOLA DEDICATORIA.

stinctet. Attamen in quantum Canones cum æquitate conveniunt, jurisque naturalis & divini vestigia imitantur, decisum præbent sufficientissimum etiam Augustanæ Confessioni addictis in causis matrimonialibus & ecclesiasticis concernentibus, scilicet decentem formam Ministerium obeundi & exequendi, moresque Clericorum: tantum abest, ut plane ab Academiis jus canonicum exulare deberet. De cujus vero ac propriouso in controversiis ac causis spiritualibus decidendis ne quisquam dubius relinqueretur, & quid commodi ac firmamenti in foro ecclesiastico seu Consistoriis ex jure canonico expectandum, omnibus innotesceret, peculiarem hac de re Jurisprudentiam & Opus Definitionum ecclesiasticarum conscribere, mecum constitui, ita tamen, ut singula quæque decisa autoritate VESTR. SERENIT. Electorali & Consistorii Supremi Rescriptis & Decretis confirmarem, quam & auditoribus meis ex cathedrâ publicè prælegi, licet hunc laborem desiderium inserviendi bono publico longè prævenerit, cui diutius invidendum non duxi, quod forsân studiosa juvenus vix decem annis in publicis prælectionibus à me excepisset, certa spe confisus, omnium & Theologorum & Jurisconsultorum commodo hoc futurum, diligentia ac studii in professione mea documentum in depositum, & quod intentionis meæ primum ac præcipuum fuit, statuam & columnam in memoriam sempiternam VESTR. SERENITAT. erectum iri. Ultimum si obtinero, suscepti laboris nunquam me poenitebit, licet forsân in reliquis spes fefellerit; Obtinuisse autem me hoc nullus ambigo, cum nemo, qui meridiano in sole haut cœcutire malit, ex tot Rescriptis, Mandatis, Responsis & Decretis Electoralibus, quæ primo obtentu opus hoc exhibet, curam & studium indefessum VESTR. SERENIT. in sinceriori fide conservandâ, purâ Religione propagandâ, rebusque ecclesiasticis probè & piè administrandis, satis superque colligere non possit. Gratissimi scilicet monumenti loco id haberi exopto, ut ne quidquam benefactorum in fidem & religionem ignoretur aut subtrahatur posteritati, cui veritas cordi est, sed quod soli VESTR. SERENIT. debetur encomium, ab iniquâ aliorum arrogatione vendicetur. Quemadmodum enim Magnates ultimum æviternæ laudis punctum in cura fidei & religionis fixum tenent; ita nunquam non de palma gregatim concertant: Jure sibi hanc competere contendit *Hispanus*, & eapropter Rex Catholicus audire cupit, quod studeat fidem & Ecclesiam catholicam defendere ac propagare; quo primùm gloriatus beneficio *Pontificis Johannis IIX. Alphonsus*, quem tuetur *Baronius*, haut parùm præsidii petens ex jure successionis *Alphonso* delatæ post obitum *Rece-*
vardi,

Chopin. de
 doman. gall.
 tit. 30. n. 3.
 Casp. Scioppi-
 us Reg. Hisp.
 Stipendiar.
 in consilio Re-
 gio pag. 32.